

Et factum est cum finisset ihesus parabolam has, transiuit inde.

Commented [ND1]: [fol.157ra]

Qua de causa dixit, has? quia et alias erat dicturus. Qua uero de causa et transiuit? Vbique seminare uerbum uolens. Et ueniens in patriam suam, docebat eos in sinagoga eorum. Et qualem patriam eius uocat nunc? michi uidetur nazareth. Non enim fecit illic uirtutes multas ait, in capharnaum autem fecit signa. Ideoque dixit, et tu capharnaum quae usque ad caelos exaltata es, usque ad infernum descendes, quoniam si in sodomis factae essent uirtutes, quae factae sunt in te, mansisset utique usque hodie. Veniens autem illic signa quidem subtrahit, ut non in ampliorem eos inuidiam exardere faciat, neque condempnet amplius infidelitate intensa. Doctrinam autem extendit, signis non minorem admirationem habentem. Hii enim per omnia insensati, cum oporteret ammirari eorum, quae dicebantur uirtutem, uili pendunt eum ab eo qui estimabatur esse pater, quamuis multa horum exempla habentes, in anterioribus temporibus et patrum ignobilium nobiles uidentes filios. Etenim dauid uilis cuiusdam agricolae iesse, et amos caprarum pastor fuit filius, et ipse caprarum pastor. Sed et moyses legislator ualde a se deficientem patrem habuit. Cum oporteret igitur propter hoc maxime adorare et stupescere, quoniam a talibus existens talia loquebatur, manifestum enim quoniam non ex humana diligentia erat, sed a diuina gratia, a quibus igitur oportebat ammirari, ab his contempnunt. Continue autem in sinagogis chorum facit, ut non semper in heremo conuersante eo, magis accusent, sicut rescidentem et urbanitatem impugnantem. Stupefacti igitur et indubitatione existentes dixerunt. Vnde huic sapientia haec et uirtutes? scilicet signa uirtutes uocantes, uel et ipsam philosophiam. Nonne hic est tectoris filius? Quocirca maius est miraculum et amplior stupor. Nonne mater eius dicitur maria? et fratres eius iacobus et ioseph et simon et iudas? et sorores eius omnes nonne apud nos sunt? Vnde huic haec omnia? et scandalizabantur in eo. Vides quoniam in nazareth disputabat? Nonne fratres eius ait ille, et ille sunt. Et quid hoc? Hinc enim maxime in fidem uos reduci oportet. Sed enim pernitiosum quid est inuidia, et sibiipsi superuenit multotiens. Quae enim erant inopinabilia, et mirabilia, et sufficientia eos attrahere, haec illos scandalizabant. Quid igitur christus ad eos? Non est propheta inhonoratus, nisi in patria sua, et in domo sua, et non fecit illic ait uirtutes multas, propter incredulitatem eorum. Lucas autem ait. Et non fecit illic signa multa, quamuis fecisse decens erat. Si enim admiratio ei adueniebat, etenim tunc ammirabatur, quare non fecit? quoniam non ad ostentationem suam inspiciebat, sed ad ea quae illis conferebant. Hoc igitur non proueniente, despexit quod erat suiipsius, ut non penam eis augeat, quamuis inde post quantum tempus ad eos uenit, et post quantum signorum demonstrationem. Sed tamen neque ita attraxit eos, sed rursus exardescabant inuidia. Cur igitur et pauca fecit signa? ut non dicant medice cura teipsum, ut non dicant hostis nobis est et inimicus, et proprios despicit, ut non dicant si facta essent signa, et nos utique credidissemus, propter hoc et fecit, et continuit, hoc quidem ut quod suum est impleat, hoc autem ut non illos amplius condempnet. Excogita autem eorum quae dicuntur sapientiam. Cum et ab inuidia detenti, tamen mirabantur, sed sicut in operibus non his quae fiebant conuertiabantur, sed causas fingunt non existentes, dicentes, in beelzebub proicit demonia, ita et hic, non doctrinam causantur, sed ad uilitatem defugiunt generis. Tu autem michi intueri mansuetudinem doctoris,

Commented [ND2]: uel cum uenisset add. super lin.

Commented [ND3]: [fol.157rb]

Commented [ND4]: ioseph add. super lin.

Commented [ND5]: ab eo add. super lin.

Commented [ND6]: scilicet iudeorum add. super lin.

Commented [ND7]: uel aduersus se ipsa add. super lin.

Commented [ND8]: [fol.157va]

Commented [ND9]: uel et nimirum add. super lin.

qualiter eis non conuitiatur, sed cum multa mansuetudine ait, non est propheta inhonoratus nisi in patria sua, et neque hic stetit, sed adiecit in domo sua, michi uidetur et fratres suos enigmatace insinuans, hoc adiecit. In luca autem et exemplum ponit huius dicens, quoniam neque helias uenit ad proprios, sed ad allophilam uiduam. Neque in eliseo alius aliquis curatus est leprosus, sed allophilus neeman. Israelitae autem neque bona passi sunt, neque bona fecerunt, sed alieni genae. Haec autem dicit, ubique ostendens, permissosam eorum consuetudinem, et quoniam nichil in ipso fit nouum. In illo tempore, audiuit herodes tetrarcha, **auditionem** ihesu. Rex enim herodes huius pater defunctus erat, qui pueros interfecit. Non simpliciter autem hoc tempus designat euangelista, sed ut discas tumorem tyranni et negligentiam. Neque enim in proemiis didicit ea quae erant secundum **eum**, sed post tempus infinitum. Tales enim sunt qui in potentatibus et multum tumorem circumamicti sunt. Tarde haec addiscunt, quia non multam horum faciunt curam. Tu autem michi intuere quam magnum quid est uirtus, quoniam et defunctum iohannem **formidauit** pretimore. Et de resurrectione philosophatur. Ait enim dixit pueris suis, hic est iohannes baptista, quem ego interfeci, hic resurrexit **ex** mortuis, et propter hoc uirtutes operantur in eum. Vides timorem intensum? Neque enim tunc foras id dicere ausus est, sed et tunc famulis suis hoc dixit. Sed tamen et haec gloria **militaris** et irrationabilis fuit. Etenim et multi resurrexerunt a mortuis, et nichil tale operati sunt. Videtur autem michi et magnificentiae esse et timoris haec uerba. Tales enim sunt irrationabiles animae, contrariarum mixtionem suscipiunt multotiens passionum. Lucas autem ait, quoniam turbae dixerunt. Hic est elias, uel ieremias, uel imus antiquorum prophetarum. Hic autem ut utique quiddam aliis sapientius dicens, hoc dixit. Decens autem est eum, primum quidem addicentes eum esse iohannem, multi enim et hoc dixerunt, negare et dicere, quoniam ego eum interfeci, **magnificatum** et glorificatum. Hoc enim et marcus et lucas ait, quoniam dixit quoniam ego iohannem decollauit. Fama autem eleuata iam et ipse eadem dicit, cum **multis**. Deinde et historiam nobis euangelista enarrat. Et quid utique non principaliter eam inducit? quoniam omne studium fuit eis quae de christo erant, in hoc **negotio** dicere, et nichil aliud honorabilius isto faciebant, nisi rursus ad id conferre deberet. Quocirca neque nunc meminissent historiae, nisi propter christum, et quia dixit herodes, quoniam surrexit ille. Marcus autem ait, quoniam ualde honorabat uirum herodes, et hoc **correptus**, tale quid est uirtus. Deinde enarrans ita ait. Herodes enim cum tenuisset iohannem ligatum eum, et posuit in custodia, propter herodiadem uxorem philippi fratris sui, dicebat enim ei iohannes. Non licet tibi habere eam, et nolens interficere posuit in carcerem, timebat enim turbam, quoniam sicut prophetam eum habebant. Et cur nichil **illi** loquitur sed uiro eius? quoniam principalior hic erat. Vide autem qualiter non honorosam facit hanc accusationem, ut hystoriam **enarrans** magis, quam accusationem inducens. Cum natalicia ut agerentur inquit herodis, saltauit filia herodiadis in medium, et placuit herodi. O de spectaculo diabolico, o de conuiuio sathanico, o de iniqua saltatione, et merces saltationis iniquior. Homicidium enim omnibus homicidiis perniciosius, facere audebat, et qui coronari, et diulgari dignus erat, in medio indicitur, et demonum trophaeum super mensam constituitur. Sed modus uictoriae his quae efficiebantur erat dignus. Saltauit enim ait filia herodiadis in medio, et placuit herodi. Vnde cum iuramento confessus est, ei dare quodcumque petierit. Haec autem premonita a matre, da michi ait hic in **disco** caput iohannis baptistae. Duplex est haec incusatio, et quoniam saltauit, et ita placuit ut et occasionem acciperet mercedem. Vides qualiter crudelis, qualiter mollis, qualiter amens est? Seipsum enim obnoxium iuramento facit, illam autem dominam petitionis constituit. Quia autem sciuit quoniam hoc malum eueniebat, tristatus est. Ait enim et tristatus est rex. Quamuis a principio timuit eum. Cur igitur tristatur? tale quid est uirtus, et apud malos, ammiratione et laudibus digna. Sed o de **insaniente**, cum deceret adorare, cum deceret et ipsum ammirari, quoniam

**Commented [ND10]:** uel famam *add. super lin.*

**Commented [ND11]:** christum *add. super lin.*

**Commented [ND12]:** [fol.157vb]

**Commented [ND13]:** uel a *add. super lin.*

**Commented [ND14]:** uel uiolenta *add. super lin.*

**Commented [ND15]:** herodem *add. super lin.*

**Commented [ND16]:** turba *add. super lin.*

**Commented [ND17]:** libro *add. super lin.*

**Commented [ND18]:** faciebat *add. super lin.*

**Commented [ND19]:** herodiadi *add. super lin.*

**Commented [ND20]:** [fol.158ra]

**Commented [ND21]:** uel scutella *add. super lin.*

**Commented [ND22]:** scilicet puella *add. super lin.*

uindicabat iniuriam **passam**, ipsa et simul construit occisionem, et laqueum ponit, et petit gratiam sathanicam. Ipse autem timuit propter iuramenta ait, et propter eos qui simul discumbebant, et iussit dari, et **mittens** decollauit iohannem in carcerem. Et allatum est caput eius in **disco**, et datum est puellae, et puella attulit matri suae. Et accedentes discipuli eius, leuauerunt corpus, et sepelierunt id, et uenientes annuntiauerunt ihesu. Et qualiter quod difficilius erat non timuisti? Si enim testes habere deierationis formidasti, multo magis timuisse oportebat occisionis ita iniquae, tantos testes **habere**. Quia autem multos estimo, et incusationis unde occisio nata est **conditionem** ignorare, necessarium est et hoc dicere, ut discatis legislatoris prudentiam. Quae igitur erat uetus lex, quam conculcauit quidem herodes, ultus autem est iohannes. Defuncti sine filiis uxorem, fratri dari oportebat. Quia enim immitigabile malum mors erat, et omnia pro uita negotiabantur, in legislationem deducit nubere uiuentem fratrem, et denominatione defuncti **natum** uocari puerum, ut non excidat domus illius. Si enim non filios derelicturus erat defunctus, quod maxima mortis est mitigatio, intolerabilis excitura erat haec passio. Propter hoc excogitauit refrigerationem hanc, legislator his qui a natura filiis sunt priuati, et eum qui **pariebatur** iussit illi reputari. Existente autem filio non adhuc permittebantur haec nuptiae. Et qua de causa ait? Si enim alii nequaquam licebat, multo magis fratri. Vult enim extendi cognationem, et multas esse occasiones familiaritatis quae est ad inuicem. Propter quid igitur et sine filiis **defuncto**, non **alius** nubebat? quoniam non utique ita putaretur eius qui obiit esse hic filius. Nunc autem fratre **seminante**, suasibile hoc sophisma factum est. Sed aliter neque necessitatem alius haberet, domum statuere eius qui obierat, hic autem a cognatione hoc facere iustum erat. Quia igitur herodes filiam habentem uxorem fratris sui nuptui accepit, propter hoc incusat iohannes, et incusat moderate, cum libera audacia, et mansuetudinem ostendens. Tu autem michi intuere qualiter theatrum uniuersum sathanicum erat. Primum enim ab ebrietate et lasciuia compositum erat, unde nichil in eo fieret sanum. Secundo, inspectores corruptos habebat, et ille qui conuiuio premebat omnibus erat iniquior. Tercium, delectatio irrationabilis, quartum, puella propter quam inique **erant** nuptiae quam et occultari oportebat ut conuiuium patiente eis matre ingreditur, non occultans, et meretrices uniuersas, abscondens uirgo, sed et tempus non parum in accusationem conferebat iniquitatis huius. Quando enim eum gratias agere oportebat deo quoniam secundum diem illam in lucem eum duxit, tunc iniqua illa facere ausus est. Quando soluere eum qui ligatus erat oportebat, tunc occisionem uinculis adiecit.

**Audite** uirginum, magis autem et nuptiarum, quaecumque in alterius nuptiis talia turpia facere acceptatis, applaudentes et saltantes, et comunem confundentes naturam. Audite et uiri qui pretiosa conuiuia, et ebrietate plena persequimini, et timete diaboli baratrum. Etenim ita omnimode occupauit miserum illum, ut iurauerit, et dimidium regni tribuere. Hoc enim marcus ait, quoniam iurauit ei, quodcumque petieris dabo tibi, usque ad dimidium regni mei, tanti principatum suum appretiabatur, ita semel captiuus a passione factus est, ut propter saltationem ei cederet. Et quid miraris si tunc haec facta sunt, cum et nunc post tantam philosophiam, propter saltationem mollitorum horum iuuenum multi, et animas suas tradunt, neque necessitatem habentes iuramenti. A uoluptate enim captiui effecti, uelut bestiae ducuntur, ubicumque lupus atraxerit, quod et tunc passus est insanus ille. In duobus enim quae ultimae insaniae sunt, insipiens factus, et in faciendo illam dominam ita insanientem et ebriam passione, et nichil facere timentem, et in alligando se necessitate iuramenti, sed ita illo existente iniquo, iniquior omnibus mulier erat et puella et tyranno. Etenim haec erat malorum uniuersorum mitium, et omnem hanc subtexens nequitiam, cum maximam gratiam scire oporteret prophetae. Etenim filia haec **ab** ea persuasa, et saltauit, et occisionem petiit, et herodes ab ipsa deuictus est. Vide qualiter iuste dixit

**Commented [ND23]:** matrem *add. super lin.*

**Commented [ND24]:** uel eum misisset *add. super lin.*

**Commented [ND25]:** uel scutella *add. super lin.*

**Commented [ND26]:** [fol.158rb]

**Commented [ND27]:** uel causam *add. super lin.*

**Commented [ND28]:** uel eum qui nascebatur *add. super lin.*

**Commented [ND29]:** nascebatur *add. super lin.*

**Commented [ND30]:** fratre *add. super lin.*

**Commented [CN31]:** scilicet frater *add. super lin.*

**Commented [ND32]:** uel generante *add. super lin.*

**Commented [ND33]:** [fol.158va]

**Commented [ND34]:** Morale xviii. de helemosina, et de renuntiatione cenarum et conuiuiorum diabolicorum, et de expurgatione adulterii, et ebrietas, et saltationis, et pompae, et de susceptione christi per helemosinam. *notum in marg.*

**Commented [ND35]:** [fol.158vb]

christus, qui diligit patrem uel matrem super me, non est me dignus. Si enim haec legem hanc seruasset, non utique tantas transgressa esset leges, non tam coinquinatam occisionem hanc operata esset. Quod enim feritate hac deterius umquam fiet? occisionem in gratiae parte petebat, occisionem iniquam, occisionem in medio coenae, occisionem publice et inuerecunde. Non enim singulariter accedens locuta est de his, sed publice. Et uerecundiam proiciens, et diabolum accipiens oppitulatorem nudo capite, ita ait quod ait. Etenim ille eam approbari fecit saltantem, et herodem tunc capi. Vbi enim saltatio illic est diabolus. Neque enim ad hoc pedes nobis dedit deus, sed ut bene ordinate ambulemus, non ut nosmetipsos deformemus, non ut secundum camelos saltemus. Etenim et illae indelectabiles sunt saltantes, non solum mulieres, sed ut cum angelis chorum faciamus. Si enim turpe est taliter corpus deformari, multo magis anima. In talibus saltant demones, in talibus letantur demonum ministri. Intuere autem et ipsam petitionem. Da michi ait hic in disco caput iohannis baptistae. Vides inuerecundatam totam diaboli effectam, et dignitatis meminit, et neque ita uerecundatur, sed uelut de quodam cibo loquens, ita sacrum illud et beatum petit caput in disco afferri, et neque causam ponit. Neque enim habebat dicere, sed simpliciter honorari aliorum rogat iacturis. Indixit induc eum huc et occide. Neque enim obituri presentiam sustinisset. Etenim formidabat et occisi orribilem audire uocem. Neque enim cum decollaretur, siluisset. Propter hoc ait da michi hic in disco. Videre enim cupio linguam illam silentem. Neque enim erui a redargutionibus studebat solum, sed et superuenire et conuiuari iacenti. Deus autem sustinet, neque fulmen emisit desuper, et inuerecundum combussit uisum, neque in terram proici iussit et pernitiosum illud conuiuium suspicere. Simul et iustum amplius coronans, et his qui postea iniuste quid patiuntur, multam derelinquens mitigationem. Audiamus igitur quicumque in uirtute uiuentes, mala patimur a pernitiosis hominibus. Etenim deus tunc sustinuit eum qui in heremo, eum qui in zona pellicia, eum qui cilicino uestimento, eum qui propheta prophetarum maior erat, eum qui nullum maiorem habebat, et occidi, et a puella incontinente et corrupta meretrice, et hoc leges defendentem diuinis. Haec itaque excogitantes feramus uniuersa uiriliter quaecumque patimur. Etenim et tunc coinquinata homicida et iniqua haec, quantum uindicare se ausa est, de eo qui contristauerat, tantum potuit, et furorem uniuersum impleuit. Et deus concessit, quamuis ad eam nichil dixit, neque accusauit, sed uirum solum incusauit, sed conscientia amara accusatrix erat. Ideoque in maiora bachabatur mala, dolens et contristata. Et confundebat simul omnes, seipsam et filiam et defunctum uirum et uiuentem adulterum, et aduersus priora certabat. Si enim doles ait quoniam adulteratur, ego eum faciam, et homicidam, et occisorem incusantis. Audite quicumque ad mulieres ultra quam oportet supereffusi estis. Audite quicumque in incertis iuramenta pretenditis, et alios facitis uestrae perditionis dominos, et baratrum uobisipsis suffoditis. Etenim et ita ipse periit. Etenim estimauit dignitatem quandam coenae eam esse perituram, et uirginem existentem, et in festiuitate et conuiuio et sollempnitate gratiam luculentam quandam et delectabilem petere. Sed tamen deceptus est, et nihil horum illi preposuit. Etsi enim illa insanorum uirorum animam habebat, sed hunc paralogizari non oportebat, neque ita tyrannicis oboedire preceptis. Quis enim non utique horresceret, sacrum illud caput sanguinem stillans, uidens in coena prepositum? sed non iniquus herodes, neque abhominabilior eo mulier. Tales enim sunt fornicantes mulieres, uniuersis sunt pertinaciores et crudeliores. Si enim nos audientes haec orrescimus, quid dignum erat uisum illum tunc operari, quid pati eos, qui simul recumbebant, nouiter occisi capitis sanguinem stillantem uidentes in medio conuiuui? sed non sanguinis uoratrix illa, et ermitiis siluestrior passa est aliquid obspectaculum istud, sed gloriabatur, quamuis etsi non aliunde a uisu solo decens erat eam iam torpere, sed nichil tale passa est abhominabilis illa, et sanguinem propheticum cupiens. Tale enim quid est fornicatio, non impudicas solum, sed et homicidas facit.

Commented [CN36]: [fol.159ra]

Commented [CN37]: [fol.159rb]

Quae enim adulterari concupiscunt, et ad occisionem sunt preparatae, iniusta patientium uirorum et non unam solum neque duas, sed et decem mille preparatae sunt audacter facere occisiones, et huius multi testes sunt operationis. Quod utique et illa tunc fecit, cogitans obliuioni tradi iam, et occultare quod audebat, sed contrarium totum contigit. Etenim plus quidem haec clamauit iohannes, sed ad id quod presens est, malitia solum inspicit. Quemadmodum qui februnt, cum frigidam aquam in temporanee petierint. Etenim nisi occidisset accusatorem, non utique ita reuelatum esset hoc crimen. Discipuli denique quando eum in carcerem immisit, nichil tale dixerunt. Quando autem occidit, tunc coacti sunt et causam dicere. Adulteram enim occultare uolebant, et nolebant propalare proximorum calmitates. Quia autem in necessitatem caecidit huius hystoriae, tunc dicit hanc audaciam uniuersam. Vt enim ne pernitiosam aliquis suspicetur occisionis causam, sicut in theuda et iuda coguntur et **occasionem** dicere interfectionis. Quare quantumcumque uolueris peccatum obumbrare modo hoc, tanto magis id diuulgas. Peccatum enim non peccati additamento occultatur, sed penitentia et confessione. Contemplare autem euangelistam, quoniam non honerose omnia enarrat. Et ut possibile est ei, et excusationem componit. Pro herode enim ait, propter iuramenta et eos qui simul recumbebant. Et quoniam tristatus est, de puella autem quoniam premonita a matre, et quoniam attulit matri caput. Ac si diceret, illius preceptum complebatur. Non enim pro his qui mala patiuntur, sed pro his qui faciunt, dolent iusti omnes. Quia et hii maxime sunt, qui mala patiuntur. Neque enim iohannes iniusta patiebatur, sed hii qui haec ita construxerunt. Hos et nos imitemur, et non insultemus proximorum peccatis, sed quantum utique oportuerit, obumbremur, assumamus philosopham animam. Etenim et euangelista pro meretrice et abhominabili homicida muliere disputans, non grauis ut possibile erat, effectus est. Neque enim dixit a contaminata homicida et abhominabili, sed amonita a matre, a dulcoribus uocans nominibus. Tu autem conuitiaris et accusas proximum, et non sustineres umquam, ita contristantis fratris meminisse, ut ille meretricis, sed cum multa feritate et impropriis pernitiosum malignum fraudulentum, amentem et multa alia difficiliora his uocans. Etenim inferitatem efferimur magis, et ut de aduena homine disputamus, malignantes contumelias inferentes conuitiantes. Sed non sancti ita, sed lugent magis pro eis qui peccant quam maledicunt. Hoc utique et nos faciamus, et lacrimemus pro herode, et pro eis qui illam zelantur. Multa enim et nunc conuiuia talia efficiuntur, etsi non iohannes interficitur, sed christi membra, et multo difficilior est istud. Non enim caput petunt in scutella, qui nunc saltant, sed animas recumbentium. Cum enim **seruos** seipsos faciunt et ad iniquas ducant consupiscentias, et meretrices construunt, non caput interficiunt, sed animam occidunt, adulteros operantes et fornicatores. Non enim utique michi dices ut uinosus et ebrius et mulierem saltantem, et turpia loquentem uidens, non pateris aliquid ab ipsa, neque extolleris ad luxuriam a uoluptate uictus. Et pateris illud orribile membra christi, membra faciens meretricis. Etsi enim non filia herodiadis adest, sed qui per illam saltauit tunc diabolus, et per has saltat nunc, et animas recumbentium captiuas accipiens abit. Si autem uos potestis ex ira ebrietatem quidem esse, sed alio communicatis peccato difficiliori. Etenim multis rapinis talia plena sunt conuiuia. Ne enim michi appositae carnes inspicias, neque placentas sed unde congregatae sunt excogita. Et uidebis quoniam ex uexatione et auaricia et uiolentia et rapina. Sed non est ex his pura esse. Neque ita ab incusationibus, pretiosae coenae eruuntur. Audi nempe qualiter et sine his incusat propheta ita dicens. Ve qui bibitis transcolatum uinum et prima unguenta unguimini. Vides qualiter et lasciuiae incusat? Neque enim auaritiam hic causatur, sed uoluptatem solum. Et tu quidem in inmoderantia comedis. Christus autem neque ad necessitatem. Tu quidem placentas diuersos, ille autem neque panem siccum, tuthassium uinum, illi autem neque frigidae aquae calicem sitiendi tribuisti. Tu quidem instrato molli et uario, ipse autem ab algore corrumpitur. Ideoque etsi auaritia purae

Commented [CN38]: [fol.159va]

Commented [CN39]: [fol.159vb]

fuert coenae, et ita sunt abhominabiles. Quoniam tu quidem supra necessitatem omnia facis, illi autem neque necessitatem tribuis. Et hoc lasciuens in his quae eius sunt, sed si pueri quidem tutor esses, et accipiens quae eius sunt, despiceres eum in ultimis existentem malis, decem mille utique haberes accusatores, et uindictam quae est a legibus solueres, quae autem christi sunt accipiens, et ita inaniter consumens non estimas dare noxias, et haec non de his qui meretrices mensis suis inducunt dico, ad illos enim nullus est michi sermo, sicut neque ad canes, neque de rapientibus et uentri insudantibus. Neque enim ad eos est michi aliquid commune, sicut neque ad porcos et lupos. Sed de his qui potiuntur quidem propria substantia, non dantibus autem de ea aliis. De his qui paterna consumunt simpliciter. Neque enim hii extra accusationem. Qualiter enim dic michi effugies accusationem, cum minus quidem tuus uentrem impleat et canis assistens, christus autem neque his dignus tibi uideatur, cum hic quidem pro risu ea accipiat. Ipse autem pro regno neque minimum horum. Et hic quidem ut aliquid dicat delectabile impletus abiit. Ipse autem docens nos ea quae si non didicissemus, in nullo a canibus differremus, neque eisdem cum illo fit dignus. Orrescis haec audiens? Ergo orresce in operibus. Proice mimos, et fac recumbere tecum christum. Si sale tecum communicauerit et mensa, mansuetus erit tibi iudex. Nouit uenerari mensa. Si enim latrones sciunt, multo magis dominator. Excogita nimirum meretricem illam, qualiter a mensa eam iustificauit, et simonem increpat dicens, osculum michi non dedisti. Si enim non facientem te haec nutrit, multo magis facientem remunerabit. Ne ad inopem respicias, quoniam sordidus aduenit, sed excogita quoniam christus per eum tuae supergraditur domui, et quiesce a crudelitate, et impiis uerbis quibus semper confundis accedentes. Desides et otiosos et alia difficilia his uocans. Et excogita cum haec dixeris mimi qualia operantur, quid domui tuae expediunt. Delectabile omnino tibi faciunt prandium? Et qualiter delectabile? alapis cesi et turpia dicentes, et quid isto indelectabilis? Quando enim eum qui secundum imaginem dei factus est percutis, et per conuiuium quod in illum est, delectationem tibi ipsi congregas, spectaculum faciens domum et mimis implens conuiuium, et eos qui in scena raduntur imitans, tu qui ingenuus es et liber. Etenim et illic derisio est et alapae. Haec igitur delectationem uocas dic michi, quae multis digna sunt lacrimis, quae multis luctibus et lamentationibus? et cum deceret quidem in uitam eos immittere studiosam cum deceret ammonere ea quae oportet, tu autem ad degeneraciones, et uerba inordinata inducis, et delectationem hoc uocas? et quod gehenne est causa, delectationis conditionem esse estimas? Etenim cum indigerint urbanis uerbis, iuramentis, et deierationibus omnia dissoluunt. Haec igitur risu sunt digna, sed non lamentationibus et lacrimis? Et quis utique haec dicet intellectum habens. Et haec dico non prohibens cibari eos, sed non in tali causa, filanthropias enim id est amoris hominum conditionem, cibus habeat non crudelitatem misericordiam, non conuiuium. Quoniam inops est cibus, quoniam christus cibatur, cibus, non quia sathanica inducit uerba, et suam confundit uitam, ne uideas eum extra ridentem, sed conscientiam eius scrutare, et tunc uidebis eum decem milies seipsum maledicentem et ingemiscentem et plorantem. Si autem non ostenditur, et hoc propter te. Sint igitur homines pauperes et liberi, conuiue tecum, non periuri, neque minit. Si autem uis et escae ab eis retributionem expetere, iube si uiderint aliquid inconueniens reprehendere uel ammonere, accipiant diligentiam domus, et famulorum tuorum. Filios habes? communes patres sint illorum tecum lucra tibi ferant, quae deo sunt amica. In negotiationem eos immitte spiritualem. Etsi habueris opus, iube auxiliari, iniunge ministrare. Per haec cape peregrinos, per haec indue nudos, per haec necessitates dissolue alienas. Hanc tibi dent cibi retributionem, quae et tibi et illis expedit, et nullam reprehensionem habet. Per haec et amicitia stringitur magis. Nunc enim etsi uideantur diligere, sed tamen uerecundantur ut uane uiuentes apud te. Si autem haec expleuerint, et ipsi facilius disponent, et tu libentius cibabis ceu

Commented [CN40]: [fol.160ra]

Commented [CN41]: [fol.160rb]

Commented [CN42]: [fol.160va]

non inaniter consumens, et illi cum libera presentia tecum commorabuntur. Et domus tua pro spectaculo ecclesia tibi efficietur, et diabolus fugiet, et christus ingredietur, et angelorum chorus. Vbi enim christus, illic et angeli sunt. Vbi autem christus, et angeli, illic caelum est, illic lumen, solari hoc luculentius. Si autem et aliam uis per eos fructificare consolationem, iube uacationem habens, libros accipientes, diuinam legere legem libentius in his quam in illis tibi ministrabunt. Haec enim et te et illos faciunt magis sobrios. Illa autem omnes simul confundunt. Te quidem ut conuitiatorem et iniquum, illos autem ut miseros, et gastrimargos. Si enim ob conuitium nutris, deterius est quam si interficens. Si autem ob utilitatem et lucrum, utilius rursus est quam si abiectos, ad uiam mortis reduxisses. Et nunc quidem famulis magis eos confundis. Famuli autem amplioem his habent liberam propalationem. Tunc autem angelis facies equales. Et hos igitur et teipsum erue abiciens mimorum nomen, conuiuas uoca, et expellens adulatorum nomen, amicorum impone nuncupationem. Propter hoc et amicitias fecit deus, non ob malum eorum qui diliguntur et diligunt, sed ob bonum et utilia. Haec autem amicitiae omni inimicitia sunt difficiliore. Ab inimicis enim si uouerimus, et lucratur, ab his autem necesse est, et iacturam adipisci omnino. Ne itaque detineas amicos iacturae magistros, ne detineas amicos mensae magis quam amicitiae cupidos existantes. Omnes hii tales, si lasciuam dissolueris, **dissoluunt** et amicitiam. Qui autem propter uirtutem tecum commorantur, manent continue, omnem ferentes inequalitatem. Mimorum autem genus et pernitiosam circumimponunt suspitionem, his quidem indiuationis, his autem adulterii et puerorum corruptionis. Cum enim nullam operationem habuerint, sed inaniter suam pertransierint uitam, ut in his ministrantes apud multos in suspitionem deueniunt. Ab opinione igitur pernitiosa nosmetipsos eruentes, et ante omnia a futura gehenna, et quae deo placent facientes, diabolicam hanc dissoluamus consuetudinem, ut et comedentes et bibentes, etiam gloria dei omnia faciamus, et gloria quae est ab ipso potiamur. Qua fiat omnes nos frui, gratia et filantropia, id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria in secula seculorum amen.

Commented [CN43]: [fol.160vb]